



**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias  
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||  
quatuor.||**

**Durandus <de Sancto Porciano>**

**Antverpiæ, 1567**

Quæstio tertia. Vtrum in diuinis personis sit circuminsessio, hoc est,  
vtru[m] vna persona diuina sit in alia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)



adiunctam secundum locum, vel secundum formam ut in luna quoad lumen, & in angelis quoad electionem & cognitionem, ut quidam ponunt: talis res variabilis est de esse ad non esse per subtractionem influentiae superioris causae. Aeternitas vero dicit mensuram vel potius durationem rei omnino inuariabilis in se in quo specialiter differt a tempore, nec comparatur secum, aliquam variabilitatem, nec secundum aliquid adiunctum, nec de esse ad non esse, in quo differt ab aeternitate, & sic patet secundum.

Th. 4. 3.

7. EX HIS apparet propositum, scilicet quod esse aeternum proprie conuenit Deo & soli Deo, quod patet sic: illud solum proprie est aeternum quod non potest deficere ab esse quoquo modo, nec secundum se, nec secundum aliquid sui esse mutabile, nec comparatur secum aliquam mutabilitatem, sed solus Deus est huiusmodi, non enim potest deficere ab esse aliquo modo, cum sit necesse esse a nullo alio dependens, nec est mutabilis secundum se, nec secundum aliquid sibi adiunctum, secundum illud Malac. 3. Ego Deus, & non mutor: & Iac. 1. apud quem non est transmutatio, omnia autem alia sunt defectibilia ad esse, cum dependant ab alio. Quaedam etiam eorum in quadam variatione consistunt. Quaedam vero variationem habent adiunctam, ergo solus Deus est proprie aeternus.

8. AD PRIMVM argumentum dicendum, quod aeternitas non est nomen mensurae, sed durationis diuinae. Sicut enim primum in ynoquoque genere non mensuratur aliquo sui generis, sed est mensura aliorum (sicut omnis motus mensuratur per primum motum, ipse autem non mensuratur per aliquem alium motum) sic primum simpliciter in tota vniuersalitate entium non habet omnino aliquam mensuram, sed est omnium mensura licet heterogenea, nec mensuratur seipso: quia omnis mensura realis differt realiter a mensurato: propter quod aeternitas non dicit mensuram esse diuini, sed eius durationem a nullo mensuratam.

9. Ad secundum dicendum, quod minor est falsitas: aeternitas enim proprie dicta non est aliquid creatum: Augustinus autem dicens quod Deus est causa aeternitatis, non accipit proprie aeternitatem, quae est duratio esse diuini, sed improprie pro aeternitate, quae est aeternitas participata, cuius Deus est causa de qua procedit obiectio.

## QUESTIO TERTIA.

Vtrum in diuinis sit circuminsessio.

Th. 1. q. 42. ar. 5.

**D**einde quaeritur, vtrum in diuinis sit circuminsessio. Voco autem circuminsessionem quod vna persona sit in alia. Et videtur quod non, quia si pater esset in filio & filius in patre sequeretur quod pater sit in seipso, conuersus est falsum, ergo & antecedens, probatio consequentiae, quia si Sortes est similis Platoni & Plato est similis Martino, sequitur quod Sortes est similis Martino, & eodem modo est in proposito ut videtur, falsitas consequentiae apparet, quia nihil potest esse in seipso ut habetur. 4. Physicorum.

2. Item Arist. 4. Physicorum assignat modos essendi in, sed secundum nullum eorum vna persona potest esse in alia, ut patet discurrendo per singulos, ergo &c.

3. IN CONTRARIVM est, quod dicitur Ioan. 1. Ego in patre & pater in me est.

4. **R**ESPONSIO. Dicendum est quod in diuinis est circuminsessio, quia pater est in filio & filius in patre, & quaelibet persona in alia: qualiter autem hoc sit, sciendum est quod vna persona non potest esse in alia ratione totius constituti ex essentia & relatione ita quod quaelibet sit contenta & contenta ratione totius, potest tamen ratione alterius partis, nec fiat vis in homine totius & partis, quia sic oportet loqui, licet in diuinis non sit proprie totum & pars. Primum patet sic, esse in alio & in quo aliud, opponuntur secundum proprias rationes, sicut esse ab alio & a quo aliud, sed nihil vnum & idem secundum idem & respectu eiusdem est ab alio, & a quo aliud, ergo nihil vnum & idem respectu eiusdem & secundum idem est quod in alio & in quo aliud, sed istud sequeretur si pater esset in filio & conuerso quaelibet ratione totius constituti, quare &c.

5. Secundum patet scilicet quod vna persona potest esse in alia ratione partis nisi quod praetelligendum est quod

secundum nostrum modum intelligendi diuina persona est constituta quasi ex duabus partibus, scilicet ex essentia & relatione, vna autem persona non proprie dicitur esse in alia ratione relationis, licet per eam fit de intellectu alterius, quia ut ad quem & ut in quo sunt diuersae habitudines, sed habitu persona ad personam secundum relationes est habitu ut ad quem tantum, ergo ratione relationis vna persona non est in alia.

6. Item illud per quod vna persona distinguitur ab alia non est ratio quare vna sit in alia, quia illud per quod vna est in alia est commune utriusque: & est in vtraque, alioquin non esset ratio quare vna persona esset in alia, sed relationes quibus persona distinguuntur non sunt communes personis, ergo secundum eas vna non dicitur esse in alia.

7. Reiter ergo quod vna persona sit in alia ratione essentiae quae vna est numero in omnibus personis. Sed persona non est ut in qua est alia ratione solius essentiae, quia tunc per idem conueniret persona esse in alio & in quo aliud, quod reprobatur est, sed conuenit persona ut in ipsa sit alia, ratione totius constituti, sicut filio conuenit ratione essentiae quod sit in patre, sed patri conuenit ut sit in quo est filius ratione totius constituti, & similiter in aliis. Et hoc videtur rationabile, illud enim in quo est aliud debet excedere vel esse in plus, quia illud quod est in ipso, sed pater ratione totius constituti se habet alio modo in plus, quia filius ratione solius essentiae, & similiter conuenit, quare &c.

8. AD PRIMVM argumentum cum dicitur si pater est in filio & filius in patre, &c. Dicendum quod consequentia non tenet quia inesse est proprietates distinctae, eiusdem autem ad seipsum non est distinctio. Et ideo procedendo in rectum bene tenet consequentia non reflectendo sicut in exemplo quod adducitur, si Sortes est similis Platoni, & Plato Martino, bene sequitur quod Sortes sit similis Martino, reflectendo autem non tenet consequentia, quia reflectio tollit distinctio, unde non sequitur, Sortes est similis Platoni, & Plato similis Sorti, ergo Sortes est similis Sorti. Eodem modo sequitur in proposito, Spiritus sanctus est in filio & filius est in patre, ergo Spiritus sanctus est in patre, non tamen sequitur reflectendo, pater est in filio & filius in patre, ergo pater est in seipso. Vel dicendum quod forte sequeretur si quaelibet persona esset in alia ratione totius constituti & esset in qua alia ratione eiusdem, sed non est ita, ut visum est.

9. Ad secundum dicendum quod non omnes modi essendi in aliquo continentur in illis quos ponit Arist. 4. Physicorum, nisi forte per quandam remotam reductionem, sicut esse in tempore reducitur ad illum modum quo aliquid in loco est, quia uterque est sicut mensura in mensura, & eodem modo potest hic inueniri aliqua reductio, pater enim est in filio ratione essentiae, essentia autem est in filio modo quo natura communis est in supposito, reducitur ad modum quo genus est in specie, vel species in individuo, licet essentia non habeat proprie rationem generis vel speciei respectu personarum ut postea patebit.

## Secunda pars distinctionis XIX.

Sententia huius litterae in generali &amp; speciali: &amp; in generali primo.

**S**ed iam nunc ad propositum, &c. Superius Magister probauit aequalitatem in magnitudine per naturam unitatem. Hic probat eam remouendo, siue excludendo omnem inaequalitatem: & cum hoc sequitur alia pars in qua probat aequalitatem in magnitudine per diuinam simplicitatem & unitatem: & sic sunt duae partes. Prima autem istarum diuiditur in tres. Primo ostendit intentum. Secundo opponit in contrarium. Tertio soluit obiectionem. Secunda ibi, His autem videntur aduersarij. Tertia ibi, Haec autem quae hic dicuntur. Prima istarum diuiditur in quatuor partes secundum quatuor quae persequitur ad ostendendum suum intentum. Primo enim probat quod in diuinis non est conuenientia tanquam in toto integrali: Secundo non est conuenientia in diuinis tanquam in toto vniuersali. Tertio quod non est conuenientia tanquam in materiali aliquo. Quarto quod non est in proprietate formali aliqua. Secunda ibi, Hic autem adiciendum est.

Tertia



Tertia ibi, Notandum etiã. Quarta ibi, His quog adiciẽdum est. Hæc diuisio & sententia lectio in generali.

3 IN SPECIALI verò sic procedit Magister. Et ostendit primò quòd non est inæqualitas in diuinis per hoc q̄ sit aliquod totũ integrale in personis, quod ex hoc probat: vbi est summa natura vnitas, ibi non potest esse totius integralis vel partiu diuersitas: sed hæc est in diuinis personis: ergo &c. Quomodo autẽ pluralitas personarum non ponat compositionẽ in diuinis: ostendit per simile ex hoc quòd in vna & eadẽ persona pluralitas attributorum compositionẽ non ponit. Deinde ponit & probat quòd in diuinis nõ est natura totius vniuersalis: non enim dicimus essentiam totã vniuersalem esse respectu personarum quod ostendit duabus rationibus. Prima dicit impossibile: & est talis: multiplicatis illis quorum est genus, multiplicatur & ipsum genus: ergo si diuina essentia esset genus respectu personarũ multiplicaretur diuina essentia multiplicatis diuinis personis: constat autẽ quòd diuina essentia non multiplicatur multiplicatis diuinis personis: ergo diuina essentia non est genus: nec personę sunt species, nec indiuidua. Ratio autẽ ista est beati Aug. dicentis, quòd diuina essentia non est genus nec personę species: nec essentia est species, nec personę indiuidua ratione prædicta: quia iam multiplicaretur diuina essentia: ergo diuina essentia nõ est species nec genus: nec personę sunt: indiuidua: manifestum ergo est q̄ diuina essentia nõ est vniuersale ad personas. Alia ratio est ostẽsiua, & est talis: vna essentia inquantũ vna non habet species, sed diuina essentia est simpliciter vna: ergo non habet species. Et quòd non habet species non est genus: ergo diuina essentia non est genus. Item non est species: quia nõ multiplicatur ad multiplicationẽ personarum: ergo nõ est ibi aliquod totum vniuersale. Postea dicit q̄ tres personę nõ conueniunt in essentia sicut in parte materiali, ita q̄ diuina essentia sit in materia personarũ, sicut lutũ vel çs multorum vasorum, quia sicut dicit in omnibus quę constituantur ex vna materia, plus est de materia in pluribus quã in vnã: sed non est plus de essentia diuina in pluribus personis quã in vna: ergo essentia nõ se habet ad personas vt materia. Deinde ostendit q̄ diuinę personę non conueniunt in essentia, sicut in proprietate formali: sicut conueniunt homines in vna cõplexione, qui etiã propter hoc dicuntur esse vnus natura, quod ex hoc ostenditur, quia in his maius aliquid sunt duo quã vnus quod nõ est in diuinis personis. Postea obiicit per autoritatem Damasceni, qui dicit q̄ diuina essentia est cõmunis & vniuersalis: tres verò personę sunt tria particularia. Deinde respondet ad hoc, & dicit q̄ verba ista Damasceni non proprie, sed similitudinarię sunt accipiendã: sunt ibi tamẽ aliqua quę similitudinem tenent respectu cõmunis, & aliqua respectu particularis. Differentia autẽ materialis dicitur in diuinis esse, non quòd aliquid sit in vna quod nullo modo sit in alia, sed quia propter distinctionẽ relationum possunt sibi inuicem connumerari. Vltimò probat æqualitatẽ magnitudinis personarũ ex ratione vnitatis: vel ex diuina simplicitate sic: vbicumq; idem est vnitas & magnitudo non est maior magnitudo vbi non est maior vnitas, sed in Deo est idẽ magnitudo & vnitas secundum rem: ideo si in Deo nõ est maior vnitas, ibi non est maior magnitudo: sed non est maior vnitas in tribus personis quã in vna: ergo nõ est maior magnitudo trium quã vnus tantum: & ita sunt in magnitudine æquales. Concludit etiã ex dictis quòd quantus Deus dicatur trinus, non tamen est dicendus triplex: quia triplicitas inæqualitatem poneret. In illis enim rebus inuenitur triplicitas vbi tria excedunt vnũ in magnitudine, quod tamẽ non est in diuinis personis: ergo non est ibi triplicitas, &c.

#### QVÆSTIO QVARTA.

Vtrum in diuinis sit dare totum & partem.

Circa lctionem istam queritur de duobus. Primum est, vtrum in diuinis sit dare totũ & partem. Secundum est de veritate, quod est tertium principale in tota ista distinctione. Ad primum sic proceditur. Et arguitur quòd in diuinis non sit dare totum & partem: quia vbicumq; est dare totum & partem, ibi est dare maius & minus,

quia omne totum est maius sua parte: sed in diuinis non est dare maius & minus cum ibi sit summa æqualitas: ergo &c.

2 Item omne quòd habet rationem partis, habet rationem imperfecti: sed in Deo nihil potest esse imperfectum, ergo nec pars: quare nec totum, cum totum & pars correlatiuẽ dicantur.

3 IN CONTRARIUM est, quia totum & perfectum sunt idem: vt dicitur. 3. Phys. sed in Deo maximẽ reperitur ratio perfecti: ergo & ratio totius: & per consequens ratio partis, propter rationem prius tactam.

4 RESPONSIO. Videndũ est primò de ratione totius in generali qualiter conueniat diuinis: & secundò videbitur de specialibus rationibus totius huius & illius: puta totius vniuersalis & totius integralis, an similiter competant diuinis. Quantum ad primũ, sciendum quòd sicut dicitur primo cõli & mundi, omne totũ, & perfectũ non differunt secundũ speciem, sed secundũ materiam in qua reperiuntur. Completio enim quę importatur absolute per nomen perfecti contrahitur per omne & totum: quia vtrũq; importat complementum cõtentiuum plurium: de eo enim quod est vnũ tantum actũ & potẽtia, nec includit nisi vnũ: nõ potest dici totum, neq; omne perfectum totum potest dici: vt hæc natura huius angeli potest dici naturaliter perfecta, sed nõ potest dici proprie tota vel omnis.

5 Rursum omne in natura cui conuenit requirit quòd contineat plura de quibus nomen importans illam naturam dicatur. Et ideo solũ additur termino cõmuni quem distribuit pro illis solum de quibus dicitur: totũ verò reperitur in illis quę continet plura, de quibus dici nõ possunt, sicut dicitur tota domus quę habet omnes partes domus, de quibus tamen nõ prædicatur. Cũ ergo constet quòd esse perfectũ potissimẽ conueniat diuinis: dubium est de toto & omni, quorum vtrũq; importat perfectionem contentiuam plurium: tamen si hæc contentia sit plurũ secundum rationẽ adhuc videtur quòd possit reperiri in diuinis. Constat enim q̄ in diuinis sunt plura ratione differentia. Pelagus enim perfectionis diuinę includit multas perfectiones attributales aliquo modo, sicut totum partes. Si verò talis contentia sit plurũ differentium secundũ rem, tunc maius dubiũ est an sit in diuinis. De hoc tamen statim in secundo articulo apparebit.

6 QVANTVM ad secundũ, sciendũ est quòd totum includens realiter multa actũ vel potẽtia videtur ad præsens esse in quadruplici differentia, scilicet essentiali, integrali, vniuersali, & numerali. Totum essentiali est quod continet plura realiter constituenta vnã essentiam per modum actus & potẽtię, sicut est cõpositũ ex materia & forma. Totum verò integrale est quod continet plura realiter constituenta ipsum non per modũ actus & potẽtię, sed per modũ continuationis, vt in toto continuo, vel per modũ colligationis, vt in domo, archa, vel lecto. Totum verò vniuersale continet actũ vel aptitudinẽ plura nõ constituenta aliquod vnũ realiter, sed discreta inter se, de quorum quolibet prædicatur, in quo differt à toto essentiali & integrali, quorũ neutrum prædicatur de suis partibus. Totum verò numerali non est aliud quã numerus cõprehendens pluralitatem aliquorum, sicut duodenarius numerus dicit numerum Apostolorũ. Et vt videtur mihi hæc nõ est ratio totius nisi nimis abue siuẽ, quia totum cõprehendit plura vt aliquo modo sunt vnũ vel saltem vnita: sed numerus dicit solũ plura non vt vnũ, sed verificatur numerus quicumq; de illis quę in nullo sunt vnũ nec vnita, nec compositione, vt in toto essentiali, nec continuatione vel colligatione, vt in toto integrali, nec in conceptione intellectus, vt in toto vniuersali: quare non videtur quòd sit totum nisi nimis improprie, & ideo ad præsens dimittatur, quia inferius requiritur vtrum sit numerus in diuinis.

7 De toto ergo essentiali vtrum sit in diuinis, dicendum q̄ non. Primò quia omne totum essentiali continet plures essentias imperfectas constituentes vnã essentiam perfectam, ex hoc enim dicitur totum essentiali, quia continet plures essentias reales, sed in diuinis nullo modo sunt plures essentia, ergo nec totum essentiali.